Cracovien. Exemptionis

Super Manutentione.

Rev. Pater. D*Ejiciendos e saxo* putat *contraria Alleg.* §.17. omnes eos, qui negant nostri Ordinis subjectionem. Nobis non est animus subire gravem hanc pænam; sed tamen patulo ore negamus hanc subjectionem, quæ nullo nititur idoneo monumento, & negamus, quia nostra Exemptio ita clara est, & perspispicua, ut nihil supra possit. Temperabit ab hisce minis egregius Auctor *contrariæ Allegationis*, cum pacato animo, & eo, quo præstat, ingenii acumine expendet monumenta, quæ nostram comprobant Exemptionem, & temperabit multo magis, cum hisce nixum monumentis audiet responsum gravissimum hujus S. Tribunalis = *Affirmative* =, quod nos iterum humillime postulamus.

Frustra *Contraria Allegatio* §.12. memorat juris dispositionem, qua cautum est, ut Episcopi jurisdictioni subjecta esse debeant Loca omnia, quæ in ejus Diæcesi sita sunt. Cum enim præsto est vetustissima exemptionis possessio, quæ præsertim nititur Apostolicis Privilegiis, & Constitutionibus, quæque innumeris comprobatur actibus, & monumentis, omnis sanè Episcopi jurisdictio conquiescat nec esse est, & qui in Exemptionis possessione versatur, in ea omnino est retinendus, ut pluribus datis auctoritatibus ostendimus *in nostro Restrictu* §.46. Hujus autem Exemptionis monumenta nostrum implent, obruuntque *Summarium*; & si cætera deessent, satis superque esset vel sola RES JUDICATA hujus Sacri Auditorii, qua contra Reverendissimum Præmisliensem Episcopum nostra Exemptio probata est, *Summario numer.* 47. Multos uno spiritu cumulat jurisdictionis actus *contraria Allegatio* §.13:, ut ita longa hac enumeratione rerum nobis imponat, & RR. PP.. Sed revera omnes inanissimi sunt, & nos *in Nostro Restrictu* singulos refutavimus. Revera Institutiones, quas memorat *Contraria Allegat.* §.14, licet *vetustissimis temporibus* interdum ab Episcopis datæ fuerint vel ex incuria Præpositorum nonnumquam Sæcularium, vel ex mandato Regum, qui sibi afferebant juspatronatus ad Præposituram Miechoviensem, & Sæculares Præsbiteros Commendæ titulo præsentabant, tamen *ab ann.*1677., & præsertim ab initio hujus sæculi, quo per Indultum Apostolicum, & Pacta conventa cum Summo Pontifice constitutum fuit, electionem Præpositi Generalis Miechoviensis ad Canonicos Regulares libere pertinere, eumque a Sancta Sede esse confirmandum, *Summario num.* 37. 45., & 46., nulla-

amplius ab Episcopo data est Institutio, aut Confirmatio, nulla tributa venia convocandi Capitulum, nullus ejus in electione interventus fuit, uti ostendimus *in nostro Restrictu* §. 47. *ad* 50., ubi latius huic exceptioni satisfecimus.

3 Idem dictum volumus de juramentis obedientiæ, & fidelitatis, quæ in iisdem Institutionibus data sunt, & quæ nobis vitio vertit *Contraria Allegatio* §. 15. Nam ea sequebantur Institutiones, & Confirmationes, quibus sublatis, sublatum est etiam juramentum, quod nunc tantum *Romano Pontifici* exhibetur, *Summario num.* 23. *sub lit. C. D.*, & *num.* 25. *lit. E.* Accedit, quod hæc juramenta evincere non possunt nostri Ordinis subjectionem, uti ostendunt Auctoritates, quas dedimus *in nostro Restrictu* §. 50. Eodem etiam spectat interventus Episcopi electionibus Præpositorum, quem objicit *Contrar. Allegatio* §. 16., & de quo satis multa diximus *in nostro Restrictu* §. 47. *ad* 50., ut proinde nihil hic addendum sit, ne actum agere videamur. Illud vero rogamus RR. PP., ut semper animo retineant distinctionem illam *temporum*, quam supra innuimus. Scilicet *vetustissimis temporibus* datæ interdum sunt institutiones, & data juramenta, atque etiam Episcopi Præpositorum electionibus interfuerunt, quæ omnia evenerunt sive mandato Regum, qui sibi juspatronatus asserebant, sive conniventia, & incuria Præpositorum, qui interdum erant Sæculares.

4 Sed POST ANNUM 1677., quo rogante Poloniæ Rege, à Sede Apostolica confirmatus fuit *Petrus de Pilca* tunc electus Præpositus Generalis Miechoviensis, *Summario num.* 28. *litt. B.*, & præsertim AB INITIO HUJUS SÆCULI, quo per Indultum Pontificium, & Concordata inita cum Sede Apostolica cautum est, ut Electio Præpositi Miechoviensis à Canonicis Regularibus Ordinis liberè absolvatur, isque à Summo Pontifice confirmetur, *Summario num.* 37. 45., & 46., nulla amplius ab Episcopo data est venia convocandi Capitulum, nullus ejus in electione interventus fuit, neque ulla umquam petita, aut concessa est Institutio, aut confirmatio. Quod adeo verum est, ut deinceps Miechovienses Præpositi semper electi fuerint à suis Canonicis Regularibus sine ulla Episcopi, aut ejus Ministrorum præsentia, & deinceps secundum Pacta conventa cum Sede Apostolica fuerint confirmati. Perperam igitur Pars Adversa memorat vetustos actus, qui ambigui sunt, & informes, & qui ab aliis actibus a nobis datis evertuntur. Nunc enim servanda sunt Concordata, uti semper servata fuerunt, & cum, posteaquam eadem inita sunt, neque Episcopus umquam Præpositorum electionibus interfuerit, neque Institutionem dederit, aut juramenta receperit, consequens est necessarium, ut hodie Causa hæc *secundum Concordata*, & *secundum ultimos status* debeat

beat judicari. Distinctio hæc temporum retinenda diligenter animo, & memori sub pectore condenda est; nam ea recte cognita, facile intelligitur, quam vani sint, & inanes vetusti illi actus, qui exadverso proferuntur.

5 Urget nihilominus *contr. Allegatio* §. 18., Sententiam depositionis, quæ ab Episcopo lata est adversus Nicolaum Præpositum Miechoviensem, tum pænam alteri Præposito impositam, & Sententiam contra alterum latam, & indictas censuras contra Canonicos Regulares, atque ab iis datam absolutionem. Quod attinet ad Sententiam depositionis quam Episcopus edidit contra Nicolaum Præpositum, hæc quidem lata fuit *jure delegato*, atque instantibus ipsis Canonicis Regularibus, qui propter loci distantiam ad Sedem Apostolicam provocare non poterant. Recte igitur in solemni protestatione, quam *an.* 1620. emisit Præpositus Miechoviensis, & quam ipse etiam Cracoviensis Episcopus ratam habuit, refutatum fuit hoc ipsum, quod nunc obtruditur, Ordinariæ jurisdictionis exemplum, ut legi potest in *Summario num.* 44. *litt. C.* ibi = *Si quod umquam extat exemplum animadversionis Episcopalis in Præpositum Miechoviensem, id factum esse ob insignes illius excessus, Religiosis ipsis, quibus ad Sedem Apostolicam ob distantiam loci difficilis fuit recursus, ad Episcopum confugientibus, qui tamen casus nec in exemplum trahi potest, & omnino nihil jurisdictionis Ordinariæ potestati adiicit* = Latius ea de re egimus *in nostro Restr.* §. 51. & 52., ad quem RR. PP. delegamus.

6 Quæ de hac Sententia dicta sunt, eadem etiam quadrant in Sententiam contra alterum Præpositum emissam, & contra pænam alteri impositam. Quod autem attinet ad censuras contra Præpositos indictas, atque absolutionem ab iis, id respicit Præpositos sæculares, præterea geri hæc omnia potuerunt jure delegato, & ideo nostra exemptio nihil inde detrimenti accipere potuit, quod satis probatum dedisse credimus *in nostr. Restr.* §. 54. Meliora non sunt ea, quæ habet *contr. Allegat. d.* §. 18. de recursibus, quos nostri Canonici ad Episcopum habuerunt, deque actibus jurisdictionis, quos ipse eorum rogatu exercuit. Neque enim si umquam nostri Canonici ad Episcopum confugerunt, evertere potuerunt exemptionem, & privilegia nostri Ordinis, neque, si Episcopi iis volentibus, atque rogantibus actum aliquem exercuerunt, exinde consequi potuerunt jurisdictionem illam, quam revera non habent. Despicimus vero approbationes illas contractuum, quæ ab Episcopo factæ sunt, & quas obtrudit *contr. Allegat.* §. 20. Neque enim id præbere aliquod argumentum potest Episcopalis jurisdictionis, cum omnes sciant, nullam bonorum Ecclesiasticorum alienationem fieri posse, nisi Episcopi consensus accedat. Quod etiam declaratum est a Curia Episcopali, cum nostri Canonici sine

Episcopi consensu bona alienaverant ; nam Curia Episcopalis contra illos processit , non quod nostri Canonici subjecti essent Episcopo, sed quod agebatur de bonis Ecclesiasticis , quæ alienata fuerant *irrequisito consensu ad id D. Loci Ordinarii , sine cujus scitu , & voluntate nulla ordinatio , & alienatio bonorum Ecclesiasticorum fieri potest = ut in contrario Summario num.* 35. *litt. A. D.*

7 Omitti autem poterat *in contrar. Allegatione* §. 21. , facta *anno* 1705. deputatio Administratoris ad vacantem Præposituram Miechoviensem ; ex quo arguit *contraria eadem Allegatio* §. 22. , destitutos esse Canonicos nostri Ordinis facultate eligendi sibi Administratorem , eosque subjectos Ordinariæ jurisdictioni . Ultra quod enim eadem deputatio expleta tunc fuit *insimul cum Religioso P. Custode Conventus* Miechoviensis , ut legitur *in contr. Summar. num.* 55. ; urgent in eliminationem contrarii argumenti superius relata posteriora *Concordata anni* 1737. , quibus expresse fuit cautum *in Artic. II.* , quod = *Abbatiarum vacantium Administratio , quæ in titulum concedentur* , SPECTABIT PRIVATIVE AD MONACHOS , EORUMQUE SUPERIORES = & rursus in Art. VII. , quod *electiones factæ , & faciendæ a Monachis , confirmandæ erunt a S. Sede* , ut post *Rigant. ad Reg. 2. Cancell. §. 2. fol.* 255. : Redit itaque , quod supra diximus , contrarios ejusmodi vetustos actus , præsertim post eadem Concordata , fore omnino despiciendos .

8 Frustra etiam *contr. Allegat.* §. 23. memorat resignationes , quæ in manibus Episcoporum factæ sunt . Nam , uti latius ostendimus in *nostr. Restr.* §. 53. , hujusmodi resignationes non Regulares nostri Ordinis Canonici , sed *Præsbiteri Sæculares* a Rege nominati emiserunt . Prout etiam deridicula sunt ea Statuta , quæ *contr. Allegat.* §. 24. ab Episcopo Cracoviensi condita fuisse memorat an. 1533. adversus Præpositos , & Canonicos Miechovienses . Nam hæc Statuta respiciunt leges , quas ferre placuit cum Præpositorum , & Canonicorum consensu non pro Ordine universo , sed tantum pro iis Canonicis Regularibus , qui studiorum causa ad Universitatem Cracoviensem mittebantur . Annuos nimirum census , uti patet ex *contr. Summar. num.* 45. , Thomas Præpositus Miechoviensis Universitati donaverat , ut in eam reciperentur ejus Canonici , atque ad litteras instituerentur ; & ideo necesse fuit leges dicere , quibus hæc onerosa donatio accipienda , & quibus recipiendi Canonici viderentur . Quis autem aliquam educere exinde poterit conjecturam Episcopalis jurisdictionis in Ordinem universum ?

9 Deridendam se præbet *contr. Allegat.* §. 25. , cum ait, contractuum approbationes , inflictiones pænarum , & Causarum discussiones ad delegatam jurisdictionem Episcopi referri non posse , quoniam id minime expressum fuit . Fatemur , quod

cum

cum actus aliquis ab Epiſcopo geri poteſt & ordinaria, & & delegata juriſdictione, referri ut plurimum debet ad juriſdictionem ordinariam, niſi delegata expreſſa fuerit nominatim, eaque ſpecies eſt auctoritatum, quæ dantur *in contr. Allegat.* §.25. Sed cum actus nonniſi ad delegatam juriſdictionem referri poteſt, nihil neceſſe eſt id exprimere; & huius quidem generis ſunt actus omnes ab Epiſcopo geſti adverſus noſtrum Ordinem, qui ſane ad iuriſdictionem delegatam omnino ſunt referendi, ut ſtatuit *Rot. in Ratisbonen. Juriſdictionis ſuper Parochialibus Reſervatis* 21. *Februarii* 1766. §.16. *coram Rmo Olivatio*, ibi = *Nilque intereſt, Epiſcopos haud ſignificaſſe, ſeſe ad inviſendum perrexiſſe ex delegata facultate: SUBAUDITUR enim hæc facultas, titulusque delegatus nullum affert detrimentum* =.

10 Illæ autem vetuſtæ Inſtitutiones, Confirmationes, & iuramenta fidelitatis, atque obedientiæ, quæ ad Ordinariam iuriſdictionem refert *contr. Allegat. dict.* §.25., congruam habuerunt reſponſionem *in noſtr. Reſtr.* §.47. *ad* 50. Et hic etiam redit fatalis animadverſio, quod ambigui illi, atque informes actus, qui *vetuſtiſſimis temporibus* geri fortaſſe potuerunt, hodie haberi in pretio non poſſunt, poſteaquam *an.*1677., & præſertim *ineunte hoc Sæculo* Indulto Pontificio, & Concordatis initis cum Sede Apoſtolica conſtitutum eſt, ut Præpoſitus Generalis a ſuis Canonicis eligatur, atque a S. Sede confirmetur. *Poſt hoc tempus, quod unum nunc ſpectare debemus*, id perpetuo ſervatum eſt, quod *Concordatis* fuerat conventum, neque umquam Epiſcopi inſtitutiones ullas, aut confirmationes abſolverunt, neque ulla umquam fidelitatis, & obedientiæ iuramenta receperunt.

11 Fallitur egregie *contraria Allegat.* §:26. & 27., cum ait, quod clariſſima illa noſtræ exemptionis jura ad titulum pertineant, atque ad judicium petitorium, idcirco nulla eorum in hoc, quod agimus, manutentionis judicio habenda ratio ſit. Neque enim noſtra poſſeſſio tantum nititur privilegiis, & Bullis Summorum Pontificum; ſed nititur innumeris actibus, & perpetua obſervantia. Tantum in medium afferimus Bullas, & Privilegia, ut luculentius conſtet, quam recte, quamque merito hi actus Exemptionis ſemper geſti fuerint; & vero nemo ignorat, quod cum præter poſſeſſionem concurrit etiam titulus, & bonum jus, manutentio denegari non poteſt, uti probant Auctoritates, quas dedimus *in noſtr. Reſtr.* §. 39. & 40. Prorſus ridicule *contr. Allegat.* §.28. memorat Innocentianam ſuppreſſionem; nam hæc ſuppreſſio nequaquam obtinuit in toto Orbe Terrarum, & præcipue locum non habuit in Regnis Poloniæ, DOVE QUESTI CANONICI SI SONO SEMPRE MANTENUTI, uti teſtatur *Joſeph Fontana*, cum quo conſentit *Samuel Nakielslki*. Revera poſt hanc Innocentii VIII. ſuppreſſionem

multæ ſunt Bullæ Summorum Pontificum , quibus noſter Ordo confirmatus eſt, eique ampliora exemptionis privilegia ſunt attributa , quod perſpicuum fecimus *in noſtr.Reſtr.* §.43. & §. 44.

12 Inutiliterque excipit *contraria Allegatio*, §. 29.,quod Miechovienſes Præpoſiti appellari non poſſint Capita , & Generales Ordinis : de hoc enim plane agemus *in contemporanea Reſponſione ſuper Cura animarum* . Interim retundentes contrarias equivocationes , otio quidem , & tempore intemperanter abutitur *contr. Allegatio* §. 32. & *ſeq.* , cum negat , noſtrum Ordinem a Romanis Pontificibus exemptum fuiſſe a juriſdictione Ordinarii , & Sedi Apoſtolicæ ſubjectum . Noſcit *contraria Allegatio* , exemptionem hanc uncialibus literis expreſſam in Bullis Cæleſtini II. , Urbani IV. , Eugenii IV. , & ideo inquit , nullam nunc earum Bullarum haberi rationem poſſe , quoniam deinceps ab Innocentio VIII. Ordo S. Sepulchri ſuppreſſus fuit . Sed ſi hæc Suppreſſio nequaquam pertinuit ad Regnum *Poloniæ* , in quo perpetuo ſervatus eſt noſter Ordo cum ſuis Privilegiis , facile intelligitur , Canonicos S. Sepulchri potiri adhuc privilegiis , quæ ipſis conceſſa ſunt , & quæ nunquam in Regno Poloniæ revocata fuerunt . Neque refert , noſtros Canonicos olim fuiſſe ſubjectos Patriarchæ Hieroſolymitano , ut inquit *contr. Allegatio* §. 32. Nam hic Patriarcha olim erat tamquam Generalis , & Caput Ordinis univerſi , eique idcirco Canonici ſubiiciebantur . Extincto vero Patriarcatu Hieroſolimitano , ejus loco Canonici ſubjecti fuerunt Præpoſito Miechovienſi , ad quem delata eſt ea juriſdictio , eaque jura , quibus dudum Hieroſolymitanus Patriarcha fruebatur . Conſequens ergo eſt apertiſſimum , ut jura Patriarchæ Hieroſolymitani non ad Epiſcopos deferri debuerint , ſed ad Præpoſitos Miechovienſes, qui eorum loco conſtituti ſunt Generales , & ſupremi Moderatores Ordinis univerſi .

13 Clara igitur eſt noſtra Exemptio , & immediata ſubjectio Sedi Apoſtolicæ , ſi ſpectemus tempus , quod præcedit Innocentianam ſuppreſſionem , idque etiam intelligit *contraria Allegatio* , quæ provocat ad tempus , quod eamdem ſequitur ſuppreſſionem . Sed hoc etiam inſpecto tempore , adeo clara , atque perſpicua eſt noſtra Exemptio , ut nihil ſupra poſſit . Manifeſtum id faciunt Literæ *Leonis* X. , & Pontificum conſequentium , qui eamdem exemptionem diſertiſſimis verbis confirmarunt . Fruſtra deſpicit *contraria Allegatio* §. 33. , & 34. literas Leonis X. , quod in iis memoratur antiqua ſubjectio Patriarchæ Hieroſolymitano ; quod nulla mentio eſt Innocentianæ ſuppreſſionis ; quod denique noſter Ordo tantum recipitur ſub protectione D. Petri , quod non ſecumfert exemptionem , & immediatam Sedi Apoſtolicæ ſubjectionem . Sed TRES Bullæ ſunt Leonis X. , quæ dantu-

in Summario num. 9. 10., *&* 11., & in quibus de nostra agitur Exemptione. In prima mentio est vetustæ subjectionis Patriarchæ Hierosolymitano, qui olim Ordinis Generalis habebatur, sed simul etiam additur, quod excepto Patriarcha Hierosolymitano = *Nulli Archiepiscopi, Episcopi Ecclesiam de Miechovia, ac illius membra hujusmodi, utpotè AB ILLORUM JURISDICTIONE PRORSUS EXEMPTA, aut illius Præpositum, aut Fratres prædictos &c. interdicere, suspendere &c., aut alias quocunque modo in Ecclesiam de Miechovia, aut illius membra, eorumque Fratres, & Personas hujusmodi potestatem, vel jurisdictionem aliquam exercere valerent* =

14 Ecquod igitur dari luculentius potest Exemptionis monumentum? Si Miechovienses Præpositi, & Canonici S. Sepulchri *ab omni Episcoporum jurisdictione prorsùs exempti* declarantur, magno opus est animo, & magno spiritu, ut Exemptio hæc tam patulis expressa verbis in discrimen revocetur. Rursùs si omnes Episcopi perpetuo prohibentur jurisdictionem aliquam in nostros Canonicos exercere, facile intelligitur eam, ne extincto quidem Patriarcha Hierosolymitano, exerceri posse, sed omnem fuisse delatam ad Præpositos Miechovienses, qui Patriarchæ loco totius Ordinis Generales sunt constituti. Quid quod in reliquis duabus Bullis nulla Patriarchæ Hierosolymitani mentio est. Despicit has Bullas *contraria Allegatio*, quia in iis Ordo S. Sepulchri tantum recipitur sub protectione D.Petri, quod ait, non inducere exemptionem, & immediatam subjectionem Sedi Apostolicæ, secundum Auctoritates, quæ dantur *in contr. Allegat.* §. 34. Ineptè tamen. Nam *contrariæ Auctoritates* obtinent, quando aliquis tantum recipitur sub protectione D. Petri, neque aliqua mentio est Exemptionis, imo vero non obscurè deprehenditur, Ordinarii jurisdictionem sartam tectam fuisse servatam: Sed in casu nostro Ordo S. Sepulchri non tantum recipitur sub protectione D. Petri, sed etiam *ab omni Episcoporum jurisdictione prorsùs exemptus* declaratur. Quo quid clariùs dici, aut fingi potest, ut exemptio comprobetur?

15 Illud verò inanissimum est, quod in Bullis *Leonis X.* Innocentianæ suppressionis mentio facta non fuerit. Quid enim opus erat, eam memorare, quando eadem Canonicos in Regno Poloniæ existentes nequaquam attingebat? Idcircò in Bulla Leonis X. confirmata sunt vetusta Exemptionis privilegia, quæ dederant *Urbanus*, *Martinus*, *Eugenius*, & reliqui Pontifices, quia eadem adhùc integra manebant quoad Canonicos S. Sepulchri, qui in Regno Poloniæ morabantur. Maneant hæc, de quibus nulla esse potest dubitatio, & facilè intelligetur, quam inania sint ea, quæ habet *contraria Allegatio* §. 35. de Bulla Innocentii XI.: Redit enim perpetuum illud carmen, quod Innocentiana Suppressio nequaquam

atti-

attigit Canonicos in Regno Poloniæ existentes; & ideo rectè quoad ipsos confirmata sunt vetusta Summorum Pontificum privilegia. Et cum hæc nullam certè habere dubitationem possint, quis erit, qui nunc nostram Exemptionem in discrimen adducat, posteaquam *ab Innocentio XI.* tam clarè, atque perspicuè data, & confirmata est?

17 Obtundit, enecat *contraria Allegatio* §.36. crebra repetitione rei falsissimæ, quod scilicet *Generalis* nomen, & auctoritas, qua semper Miechovienses Præpositi sunt potiti, nullam secumferat jurisdictionem. Sed tot, ac tanta dedimus in *nostro Restrictu* monumenta hujus jurisdictionis, quam semper Præpositi in Canonicos Regulares exercuerunt, ut ociosum videatur, vel unum addere eà de re verbum. Illud æquo animo ferri non potest, quod *contraria Allegatio* §.36. vitio nobis vertat hujus Sacri Tribunalis Decisionem editam *in Tyrasonen. Jurisdictionis, & Præeminentiarum 25. Januarii* 1734. *cor. clar. me. Card. Crescentio*; qua definitum est, veram non esse nostri Ordinis Exemptionem. Est hoc contra bonam fidem, qua inter bonos agere oportet; Nam Auctor *contrariæ Allegationis* ignorare non potest, hanc Decisionem fuisse *REVOCATAM diebus* 30. *Januarii*, & 22. *Junii* 1739. *coram bon. mem. Canilliac.*, & postea Sententiam etiam Sacri Auditorii fuisse evulgatam, qua definitum est, *Canonicos Sancti Sepulchri exemptos esse ab omnimoda Episcopi Tyrasonen. jurisdictione*. Ut veritas, quam Pars Adversa in tenebras rapere conatur, evidenter appareat, damus hanc Sententiam *in Summario in calce numer. unic.* Nonne hæc Sententia rem omnem ponit in illustri loco; uti etiam rem ipsam novissime clariorem effecit altera Sententia hujus Sacri Auditorii edita *adversus Rmum Episcopum Præmisliensem*?

18 Vim hujus Sententiæ ab se conatur avertere *contraria Allegatio* §.37., cum ait, unam, aut alteram ex Decisionibus, quæ Sententiam præcesserunt, contumacialem fuisse. Sit, ut lubet; verum hodie hæc sententia vim accepit REI JUDICATÆ, ideoque de ipsa ambigi non potest, nisi primum *in integrum restitutio* fuerit impetrata. Quod si jamdudum contra Polonos Episcopos solemnibus *Rebus judicatis* S. Auditorii probata est nostri Ordinis exemptio, devium est a juris disciplina, in discrimen adducere, quod jampridem *à rebus judicatis* definitum fuit, secundum celebrem *Text. in. L. ingenuum ff. de Stat. homin.* Provocat *contraria Allegatio* ad ultimos Status; sed satius erat non tangere hoc ulcus, cum hi ultimi actus nostram exemptionem magis, magisque confirment, uti demostratum est loco superiori. Nihil autem refert, quod nostrum Monasterium expressis verbis exemptum non dicatur, sed quòd imo mentio fiat Diæcesis Cracoviensis.

Id

Id enim exprimi debuit, ut sciretur, ubi Monasterium ipsum esset positum, quod revera sedet in Diæcesi Cracoviensi. Sed tamen Miechoviensis Præpositus uncialibus literis declaratur *Generalis Claustralis*; quod verbum satis evidenter ostendit plenam ejus in ipsum Monasterium, atque in omnes ejusdem Ordinis Canonicos jurisdictionem.

19 Provinciam suscipit suis haud viribus ęquam *contraria Allegatio* §.39., *& seq.*, cum in discrimen conatur adducere vim, & auctoritatem nostrorum documentorum. Enim verò petimus à Parte Adversa, quo ex Archivio sua extraxit Documenta? & petimus rursus, an nos adcitaverit antè illorum extractionem? Porrò omnia Documenta nostra ex Archiviis sunt educta, & cunctas habent solemnitates, quibus est opus, ut plenam probationem constituant. Ubi autem reperiri possunt Acta, quæ nostrum Monasterium respiciunt, nisi in Archiviis ipsius Monasterii reperiantur? Quando hæc Archivia legaliter retinentur, & quando monumenta, quæ in iis sunt, nullam habent suspicionem, plenam, ut omnes norunt, in judicio faciunt probationem. Perperam *contraria Allegatio* §. 40., & 41. despiciendos putat jurisdictionis actus, qui a nobis dantur, & qui a nostris Præpositis exerciti sunt, partim quod geri potuerint conniventia Episcoporum, & partim, quod privatim gesti sint, & Claustralem auctoritatem respiciant. Probanda enim esset conniventia Episcoporum, quæ certe pręsumi non potest, cum semper Poloniæ Episcopi suam contra nostrum Ordinem jurisdictionem explicare conati sint, licet inutiliter; tantum abest, ut aliquid sua conniventia remittere voluerint; & si etiam hæc conniventia præsumi vellet erga Cardinales, ut inquit *contraria Allegatio*, præsumi certe non potest adversus Præpositos Generales, qui actus ipsos exercuerunt. Fatemur, eos actus gestos fuisse in nostris Monasteriis; sed ubi geri debebant? Non ideò tamen privatim gesti dici possunt; quià omnes sunt gesti palam, & consciis omnibus, atque in ipso conspectu Episcoporum. Et quamquam nonnulli ex iis actibus ad d claustrale regimen referri possunt, plerique tamen necessario secumferunt plenam jurisdictionem, atque exemptionem ab Ordinaria Potestate.

20 Inanissimum denique est, quod Episcopi propter actus gestos a nostris Præpositis suam jurisdictionem amittere non potuerint, ut inquit *contraria Allegatio* §.43. & 44. Nam si nostri Præpositi, & Canonici amplissimo Exemptionis privilegio a Sede Apostolica donati sunt; si hoc privilegium semper integrum retinuerunt; si secundum illud semper in conspectu Episcoporum plenissima sunt potiti exemptione, & suam explicarunt jurisdictionem, non magno est opus ingenio, ut in-

intelligatur, ipsos in ea, in qua semper fuerunt, exemptionis possessione omnino esse retinendos. Quare &c.

Dominicus Franci.

SUMMARIUM

Num. Unic.
Sententia Rotalis edita in Causa Tyrasonen, qua fuit canonizata Exemptio nostri Ordinis ab jurisdictione Episcopi Tyrasonen.

CHRISTI Nomine Invocato. Pro Tribunali sedentes &c. per hanc nostram definitivam Sententiam, quam de RR. PP. DD. Coauditorum nostrorum consilio, & Voto in his Scriptis ferimus in Causa, & Causis, quae primo, & in prima coram Eminentissimo Corio tunc Sacrae Rotae Auditore, secundo, & in secunda coram Reverendissimo P.D. Calcagnino Decano, tertio, & in tertia, seu alia veriori coram Nobis versae fuerunt, & vertuntur instantia *inter Reverendissimum Dominum Episcopum Tyrasonen., ejusque Promothorem Fiscalem Actores ex una, & Reverendissimos Priorem, & Canonicos Insignis Regularis, & Regalis Collegiatae Ecclesiae Sancti Sepulchri Civitatis Calatayubii* Reos conventos Partibus ex altera de, & super confirmatione, vel infirmatione Sententiae dicti Reverendissimi Calcagnini confirmatorię alterius latę per dictum Reverendissimum Corium in ea parte, in qua declaratum fuit, Reverendissimos Priorem, & Canonicos Collegiatę Ecclesię Sancti Sepulchri, aliosque respectivè deferentes habitum, & profitentes Institutum *Sancti Sepulchri* subjectos esse omnimodę jurisdictioni Reverendissimi Episcopi Tyrasonen., ejusque Officialium, & alias latius, prout in eis, *inhaerentes Decisionibus cor. Nobis aeditis sub diebus 30. Januarii, & 22. Junii 1739.* seu &c. dicimus &c. & definitivè sententiamus, benè fuisse pro parte dictorum Prioris, & Canonicorum appellatum, & reclamatum a Sententiis latis per dictum Eminentissimum Corium, & Reverendissimum Calcagninum, & malè, ac perperam per illos judicatum, propştereaque Sententias prędictas fuisse, & esse revocandas, & annullandas, prout revocamus &c., & pro hujusmodi effectu *praedictos Reverendissimos DD. Priorem, Canonicos, aliosque deferentes habitum Sancti Sepulchri fuisse, & esse exemptos quoad eorum personas ab omnimoda Episcopi Tyrasonen. jurisdictione*, litterasque exequutoriales desuper decernentes, & re-

A

la-

laxantes ; prout decernimus , & relaxamus in omnibus , & per omnia ad formam supradictarum Decisionum , ad quas &c. , ac molestationes &c. , & perturbationes per dictum Reverendissimum Episcopum , ejusque Promothorem Fiscalem illatas fuisse , & esse nullas , injustas &c. , ac desuper his eidem Reverendissimo Episcopo &c. perpetuum silentium &c. imponimus , Victumque Victori &c. in expensis condemnamus . Et ita dicimus &c. , & definitivè sententiamus &c. omni &c.

Ita pronunciavi Ego Claudius F. de Canilliac S.R.A., & Judex Commissarius .

R. P. D.

A Z E D O

Cracovien. Exemptionis.

Super Manutentione.

PRO

Rm̃o D. Matthæo Buydecki Præposito
Generali Canonicorum Regularium
Ordinis SS. Sepulchri.

CONTRA

R.D. Promothorem Fiscalem Curiæ
Episcopalis Cracovien.

A

Responsio cum Summario

IO

Typis Lazzarini 1777.